

sunt, illos in cuiusuis domus enarratione recenserebimus figillatim (d).

## CAPVT II.

### *Syllabus scriptorum, de illisque iudicia.*

#### §. I.

**P**rincipio testor hanc fidem meam, quam viris litteratis debeo, me nullum hic auctorem alieno iudicio laudare, sed omnes mihi & proprios esse, & saepe iterumque lectos (e); vt adeo sensu meo in pretii,

(d) Non ergo parua videatur haec seges, quam hic exhibemus. Si enim singulares cuiusque principatus historicos hisce iunxeris; is tibi adparatus erit, quem regum vel principum bibliothecae vix aequabunt.

(e) Non parum est, quod hic adfirmo. Excurrunt enim regum & principum bibliothecae in centum fere millia librorum, qui nostro aevo videntur in litterato orbe vniuerso vtiq; superesse. Egomet supellectilem tamen meam facio propterea maioris, quod illa meae scenae, id est, historiae & iurisprudentiae inseruiat: cum publicae, quae audiunt, bibliothecae quasque voluminum foueant quisquillas. Aliud est, bibliothecam instruere, pompae plenam: aliud parare eandem vsui in singulari quodam genere argumenti. Ipsi etiam bibliothecarii hic in ius vocandi sunt, qui, cum plerumque vel Theologi sint vel Critici, id in votis habent, quod est prouinciae eorundem. Vt scilicet faber curare solet fabrilia. Hinc fit, vt & principum & summorum reipublicae administrorum musea, quod eius generis hominum consiliis instruantur, faciem quoque habeant eandem, quam oculis nostris subiiciunt tanto numero editi catalogi. Quod certissimum argumentum est, eius generis bibliothecas pompam pro fine habuisse, non vsu sui auctoris. Quid variae sacri codicis editiones, Biblia polyglotta, Philosophi in Logicis & Metaphysicis principes rerum publicarum aut forensium administro? Tantum certe, quantum Theologo profunt herbaria, chymica, chirurgica. Quemadmodum igitur merito ridendus esset sartor, si dolabris, securibus, bipenne, aliisque instrumentis spissa officina superbiret in arce, ab hoc adparatu alienissima: ita mihi stultissima videtur illorum hominum litteratorum ambitio, quorum musea li-  
bris